

qui primum occulte, tum postea aperte sacrilego ore ausus est afferere, verbum Divinum & creatum & mutabile esse, ex non extantibus factum, fuisseque tempus quando non erat. Hunc errorem in suis cunis profocare volens Alexander, duas Synodos, ut recte observat doctissimus Valerius in Notis ad lib. 1. Hist. Eccles. Theodoret cap. 4. adversus Arium eiusque socios anno 321. Alexandria collegit. In priori Synodo decem damnati sunt Clerici Alexandrini, & notati tres Episcopi Syriae fautores Arianae Hæreseos, atque ab Alexandro Patriarcha Alexandrino scripta est Epistola Synodica ad Alexandrum Byzantii Episcopum, quam recitat Theodoretus lib. 1. Hist. Eccles. cap. 4. In altera Synodo, cui, ut mox dixi, centum fere Episcopi interfuerunt, postquam Arius, ejusque socii Hæresim suam palam fuissent professi, damnati sunt cum duobus Episcopis *Secundo* scilicet Prolomaidis & *Theona* Marmaricæ, notatus etiam est Eusebius Nicomediensis, ac denique ab Alexandro Patriarcha Alexandrino missa est Epistola Synodica de Arii, ejusque sociorum condemnatione ad omnes ubique terrarum Episcopos, quam nobis conservavit Socrates lib. 1. Hist. Eccles. cap. 10. Arius itaque eiectus ab Ecclesia in Palæstinam abiit, ibique plures Episcopos suis partibus addixit, sed præsertim Eusebium Nicomediensem, qui Concilium Bythinia in Palestina convocavit, in quo Arium in suam communionem recepit, & ad omnes Episcopos litteras dedit, quibus eos vehementer adhortabatur, ut suam itidem in communionem Arium, ejusque socios restituerent, & Alexandrum Patriarcham Alexandrinum ad pacem cum illis ineundam adducerent. Quæ mox ut ad aures Alexandri perlata sunt, varias ad plurimos Episcopos scripsit sanctissimus ille Antistes Epistolas encyclicas, quibus Arii, ejusque sociorum impietatem detexit, illosque ab Ecclesia fuisse a se expulso ipsi significavit. Arius, abjecta omni spe pacem cum Alexandro Patriarcha Alexandrino ineundi, Schisma Alexandriae, & in Ægypto conflat, suamque Hæresim disseminare cepit. Ut autem facilius hominum ac muliercularum animis suæ Hæreseos virus instillare posset, composuit *Thalejam* suam, idest Cantilenam mollem ac impuram, in qua pestiferæ suæ doctrinæ venenum expressit. Erat quippe illa effominatis quibusdam, ac joculariis modis adornata, exemplo scilicet impurissimi *Sotide* nobilis in hoc genere Poetæ (a).

(a) Admitto equidem Arium sub Alexandro Episcopo Alexandrino in apertum schisma prorupisse; constat tamen virum illum noxium prava consilia agitare vivente adhuc Petro, qui ante Alexandrum Ecclesiam illam gubernavit. Scimus enim ex anecdotis a Cl. Maffeo vulgatis, Arium clam aspirasse ad honorem Episcopatus, & cum Meletio in consiliis communicasse, quod noscens idem Petrus Alexandrinus, palam de illo conquestus est in sua epistola ab eodem Maffeo vulgata. Licet enim ibi nihil legitur de Ario, adhuc tamen illum

peti in hac epistola exponit vetustissimus author, & fere coævus, qui hanc epistolam præfatus est: *Arius quidem habitum portans pietatis, & ipse doctoris desiderium habens, invidens Pontificatum B. Petri presbyteros, quibus dederat potestatem de Parocia visitare Alexandriam latentes, Meletio demonstravit &c. . . . His agnitis B. Petrus populo scripsit Alexandrino epistolam hoc modo &c.*

Hic erat deploratus Ecclesiae status, quando Constantinus Magnus, devicto Licinio anno 324. solus in toto Imperio Romano summa rerum potitus est. Principio Religiosus hic Imperator ad Alexandrum & ad Arium litteras Nicomedia direxit, quibus eos ad concordiam, & pacem sic hortatus est, ut facile appareret, ejus animum ab Eusebio Nicomediæ Episcopo, Arii fautore, qui gratia apud Imperatorem plurimum valebat, fuisse occupatum. Verum non diu ea in sententia perstitit Constantinus ab Eusebio deceptus. Has Imperatoris litteras detulit *Ofius* Cordubensis Episcopus, qui ad componendos Ecclesiae Alexandriae tumultus celebravit Alexandriae Synodum, quæ tamen excitatum in toto Oriente incendium extinguere minime potuit. Cum igitur Orientis Episcopi in diversas partes scinderentur, & Ariana Hæresis instar cancri latius serperet, non aliud huic malo, quod in dies ingravescerebat, efficacius remedium adhiberi posse existimavit Constantinus, quam ut Sylvester Pontifex Episcopus ex universo Orbe Christiano in unam cogeret Synodum. Abjecta itaque omni cunctatione religiosissimus ille Imperator, ad omnes sui Imperii Episcopos litteras honorifice scribendas curavit, eosque, assentiente Sylvestro Romano Pontifice, ad Generalem Synodum Nicæam in Bythinia Urbe celebrandam convocandos, ut hanc exortam de fide controversiam auctoritate sua dirimerent. Anno itaque 325. celebratum est Concilium Generale Nicænum, cui interfuerunt 318. Episcopi, in quo definitum est, Filium Dei esse *ὁμοούσιον*, idest Patri æterno consubstantialem. Arius in hac Synodo, postquam errores suos meretricia fronte defendisset, in sua perfidia obfirmatus Anathemate percussus est, una cum duobus Episcopis *Secundo* Prolomaidis, & *Thoma* Marmaricæ, qui duo Episcopi nec fidei Nicænae, nec damnationi Arii subscribere voluerunt, ut testantur Patres Concilii Nicæni in epistola Synodica, necnon Theodoretus & Philostorgius. Quapropter hi duo Episcopi simul cum Ario jussu Imperatoris in exilium fuerunt ablegati. Eusebius quidem Nicomediensis & Theognis Nicænus initio formulam fidei Nicænae penitus repudiaverunt, sed postea metu Imperatoris, qui contradicentibus exilium minabatur, eam calculo suo comprobarunt, sed fide & simulate, nam post Concilium Nicænum cum defensores errorum Arii palam sese exhiberent, in Gallias ab Imperatore in exilium missi sunt. At post tres annos a celebratione Concilii Nicæni necdum completos, hoc est anno 327. Arius & duo Episco-

pi

pi Eusebius Nicomediensis & Theognis Nicænus jussu Constantini ab exilio fuere revocati. Arius redux, vir totus ad fraudes concinnandas compositus, formulam fidei Catholicam in speciem, æquivocam tamen, nec errorem excludentem Imperatori obtulit, & ab ipso facultatem obtinuit Alexandria redeundi. Tum temporis Alexandriae in Throno Patriarchali sedebat Athanasius Alexandri successor, qui Ario Alexandriae reverso se tanquam murum æneum opposuit, nec Imperatoris litteris, quibus ipsi & depositionem, & exilium minabatur, nisi Arium in Ecclesiam admitteret, flecti unquam potuit invicta ille constantia Præsul & Arianorum malleus. Ea Athanasii constantia exasperati Ariani, Conciliabulum anno 328. juxta Cl. Pagium, Antiochiæ indixerunt, in quo Eustathium illius Urbis Episcopum fidei Nicænae egregium defensorem falsis criminibus postulatam, violatis omnibus æquitate legibus, Sede Antiochena depulerunt. Deinde Synodum Tyriam anno 335. habuerunt, in qua S. Athanasium, licet innocentiam suam circa crimina sibi falso affixa de fracto Calice, de nece Arsenii & de stupro, Sole clarius comprobasset, Episcopatu exuerunt, & anno sequenti aliam Synodum Constantinopoli coegerunt, in qua novis calumniis ab Arianis oppræsus Athanasius Treviros in exilium jussu Imperatoris missus est, & Arius in pristinum suum statum restitutus, atque Alexandriae remissus, ubi tamen cum turbas iterum movisset, redire Constantinopolim ab Imperatore jussus est. Huc reversus Arius subdolum fidei professionem edidit, obtulitque Constantino, qui a pestifero illo Hæresiarcha & ab Eusebio Nicomediensi delusus, jussu Alexandro Episcopo Constantinopolitano, ut Arium in communionem reciperet, sed, dum renitente sanctissimo illo Præsule, Arius, quem jam ejusdem factionis Episcopi in Pseudo-Synodo Hierosolymitana propter encarnians, seu Templi dedicationem celebrata ad communionem admiserant, quasi triumphans properaret ad Ecclesiam; contigit ut scelestus ille alvum exonerare volens ad publicas latrinas diverterit, ubi terribili, iusto tamen Dei judicio, disrupto ventre, instar Judæ, intestina & miseram egressit animam.

Sublato e vivis Ario, animum non desponderunt Arianae perfidiae sectatores, quorum multi Ario nihil concedentes ferocitate, astutia, protervia, Sedes Episcopales invaserunt, & in Aulam Imperatoris irrepserunt. Vivente tamen Alexandro Episcopo Constantinopolitano nihil aperto Marte moliri ausi sunt, sed illo mortuo, cervicem erexerunt, turbasque in electione Ecclesiae Constantinopolitanae Episcopi exciverunt. Catholici quippe *Paulum* Episcopum Constantinopolitanum acclamarunt. Ariani *Macedonium* elegerunt. Vicerunt tamen Catholici. *Paulus* ad Thronum Constantinopolitanum, fremtentibus licet Arianis, evehctus est, sed post breve temporis intervallum Sede sua dejectus est, & in exilium missus, vivente adhuc Constantino *Macedoniae*. Hist. Tom. I.

81 gno, qui obiit anno 337. Mortuo Constantino Imperatore; S. Athanasius, Paulus, aliique Orthodoxi Episcopi ab exilio revocati, fuisque Ecclesis redditi sunt, hoc agente Constantino Constantini Magni filio, qui Catholicis impense favebat. At Constantius Constantis frater, qui in Oriente patri suo Constantino successerat, Arianae Hæreseos fautorem se palam professus est acerrimum, ejusque dilatandæ studio omnia sua deque miscuit. Hinc jussu Constantii Paulus Constantinopolitanus Episcopus in exilium missus est Cuculum oppidum Armeniae, ubi fauces laqueo ei elisa fuerunt, & Eusebius Nicomediensis, eiecto Paulo, Sedem Constantinopolitanam invasit. *Ariani*, seu *Eusebiani*, ita dicti ab Eusebio Nicomediensi, Constantii Imperatoris patrocinio freti ad Julium Romanum Pontificem litteras dederunt, quibus illum adversus Athanasium movere conati sunt. Athanasius itidem Romam Presbyteros misit, qui ipsius causam coram Summo Pontifice tutarentur. Synodus Alexandriae ex Ægypto, Lybia & Thebaide coacta, cui centum ferme interfuerunt Episcopi, Epistolam Synodicam ad eundem Pontificem misit, in qua Athanasii fidem & innocentiam vindicabat. Athanasius, acceptis a Romano Pontifice litteris, Romam se contulit, ubi per octodecim menses accusatores suos sibi male confisos frustra expectavit, ut constat ex Epistola Julii Papæ ad Orientales data. Idem S. Athanasius testatur in Apolog. 2. his verbis: *Cum igitur Romam pervenissemus, Julius continuo ad Eusebianos litteras scripsit, missis eo duobus ex suis Presbyteris, Elpidio & Philoxeno. Illi vero, ubi nostram Romæ præsentiam audivissent, plurimum conturbati sunt, quod contra spem eorum nos Romam contulissem. Rejecto igitur itinere futiles, inanesque tergiversando causificationes commenti sunt. Et in epistola ad Solitarios idem S. Doctor asserit Eusebianos causatos fuisse, se ob bella Persarum Romam venire non posse. Dum hæc Romæ agerentur, Eusebiani anno 341. Synodum Antiochiæ convocarunt, in qua S. Athanasium Episcopatu abdicarunt & in ejus locum subrogarunt Gregorium Cappadocem, qui armatis militibus septus Sedem Alexandrinam occupavit, & in Catholicos cædibus, & exiliis crudeliter sævit. Julius Summus Pontifex Romæ anno 342. Synodum celebravit, in qua discussa S. Athanasii causa, eum innocentem pronuntiavit & in suam communionem, desperatis Eusebianis, recepit. Augebantur in dies turbæ, ad quas sopiendas Concilium Sardicense in Illyrico Constantis & Constantii Imperatorum consensu indictum est anno 347. Sed vix incepto hoc Sardicensi Concilio, ortum est Episcopos Orientales inter & Occidentales magnum divortium. Orientales quippe Episcopi Arianae Hæreseos labe infecti, causæ suæ diffisi, vel ægre ferentes, quod Athanasius & Marcellus Ancyranus, quos prædamnaverant, locum haberent inter Episcopos, sese e Concilio subduxerunt & Philippopolim Urbem Thraciæ secesserunt, ubi separatim habuerunt Synodum, quam Sardicensis*

F

centis nomine falso nuncuparunt, & in qua Athanasium & Marcellum iterum damnarunt, Julium Papam, Osum Cordubensem Episcopum anathemate perculerunt, novamque condiderunt fidei formulam, in qua *Consubstantialis* vocem omnino suppresserunt. Occidentales vero Episcopi in Concilio Sardicensi congregati fidem Nicenam confirmarunt, & principales factionis Arianae Episcopos damnarunt, suisque Sedibus deposuerunt. Post celebrationem hujus Concilii Sardicensis, quod non solum convocatione, sed etiam exitu Œcumenicum fuisse, non obstante Ariatorum Episcoporum recessu, probabilis censent viri eruditi; adeo inter Episcopos Orientales & Occidentales dissensiones recruduerunt, ut gravibus & continuis tumultibus Ecclesia fuerit exagitata. Imperator Constantius, cujus auctoritate convocatum fuerat Sardicense Concilium, obtinuit a fratre suo Constantio, ut Athanasius & Marcellus, qui in hoc Concilio fuerant absolvi, suas Sedes recuperarent. Sed illa non fuit diuturna tranquillitas. Nam mortuo Constantiano anno 350. Episcopi Ariani iterum Orthodoxos Episcopos suis Sedibus exturbarunt, Athanasii damnationem confirmarunt in Concilio Episcoporum Occidentalium Arelate habito anno 353. & in Concilio Mediolanensi anno 355. omnes Episcopos, qui Athanasii damnationi subscribere detestabantur, carcere, aut exilio mulclarunt, & alios suae Sectae viros in eorum Sedes intruserunt. Inter hæc, Athanasius ad necem sollicitè quæsitus, divino testus præsidio, Ariatorum, qui ne ipsius quidem nomen ferre poterant, malas artes, fraudes & insidias mirabiliter evasit. Dum sic periclitaretur Ecclesia, peropportune accidit, ut inter Episcopos Arianos ortæ sint circa doctrinam haud leves contentiones, quæ in causa fuerunt, cur novas identidem fidei formulas figentes ac refigentes, nec sibi unquam constantes, in varias abierint Sectas, quæ mutuo inter sese pugnant, ultimum tandem sibi exitum intulere.

D. Recense, si placet, illas Sectas, in quas divisi sunt Ariani.

M. Injuncto semel inter Arianos discordiæ pondo, alii, quos inter censentur *Aerius*, *Eunomius* Aetii discipulus, *Acacius* Cæsareæ, *Eudoxius* Antiochiæ Episcopi purum purumque Arianismum propugnantes, Filium Dei Patri dissimilem prædicarunt, & ideo dicti sunt *Anomæi* (a). Alii Filium Dei Patri similem esse in substantia, sed non consubstantialem assererant; & hi *Semi-Ariani* sunt appellati. Puri Ariani dicti *Anomæi* Sirmii convenerunt, ibique Formulam fidei plane Arianae, quæ vulgo vocatur *secunda formula Sirmiensis*, condiderunt. Tres enim Formulæ Sirmii Urbis conscriptæ nomine leguntur, quæ tribus diversis Synodis Sirmiensibus editæ sunt. Prima græce concepta est cum anathematismis XXV. & in ea damnantur anathemate, qui dicunt Filium Dei *de non extantibus, aut ex altera Hypostasi esse, vel suis se tempus, aut seculum quando non erat*. Hæc

prima fidei Sirmiensis Formula, quam Sanctus Hilarius in lib. de Synodis ut Catholicam commendat, conscripta est in Concilio Sirmiensis celebrato anno 351. contra Photinum, qui negabat Divinitatem Christi & purum hominem adstruebat. Secunda Synodi Sirmiensis Formula, quæ plane Ariana erat, edita est in secunda paucorum Ariatorum Episcoporum Sirmiensis Synodo habita anno 357. sicut post Baronium solide probat Cl. Pagius in sua critica ad annum 357. Huic secundæ Sirmiensis Formulæ, quod certe dolendum maxime est, subscripsit Osius Cordubensis Episcopus, & qui ante hæc acerrimus erat fidei Nicenæ defensor & Arianismi insectator, ne tamen exilium, bonorumque proscriptionem patiretur, dedit in extrema senectute impietati manus. At *Liberius* Papa, quidquid contra obstrepant nostri temporis Hæretici, non huic secundæ Sirmiensis Formulæ, quæ omnino erat hæretica, subscripsit; sed tantummodo primam Sirmiensis Formulam, quæ sensum Catholicum patiebatur, tædio exilii fractus probavit. Denique, tertia fidei Sirmiensis Formula condita est Sirmii in paucorum Episcoporum conventu anno 358. & in ea vocis *ὁμοούσιος*, seu consubstantialis, nulla quidem mentio fit, sed Filius Dei dicitur *ὁμοιόσιος*, idest Patri per omnia similis, ut videre est apud S. Athanasium in lib. de Synodis. Secunda Sirmiensis Formula, quæ, ut dixi, pestilens doctrinæ Aetii virus exprimebat, recepta & approbata fuit in Synodo Antiochena habita ab Eudoxio Ariano illius Urbis Episcopo. Ast ceteri alii Episcopi Orientales hæc secundam Sirmiensis Formulam reprobarunt in Concilio Ancyrano anno 358. dogma itidem Anomæorum damnarunt & rejecta voce *ὁμοούσιος*, seu consubstantialis, Filium Dei Patri *ὁμοούσιον*, idest, persimilem esse in substantia definiunt. Constantius Imperator hæc continuis Episcoporum disputationibus fatigatus, duas Synodos cogi iussit, unam in Occidente, alteram in Oriente. Occidentales Episcopi Ariminum, Orientales Seleuciam Isauriæ Urbem convenerunt. Episcopi Occidentales quadringenti ferme Arimini congregati sunt anno 359. primum Nicenam fidem confirmarunt, tum Valentem, Ursacium & Germinium Episcopos Arianos deposuerunt, ac decem Legatos miserunt ad Imperatorem Constantium, quorum adventum Valens & Ursacius antevertentes, in errorem induxerunt Constantium, qui iussit *Tauro* Præfecto ne Episcopos Arimini congregatos dimitteret, donec Formulam Sirmianæ non dissimilem a Valente & Ursacio paulo ante compositam approbassent. Quo factum est, ut multi ex illis Episcopis tædio & molestia victi tandem cesserint; alii vero Valentis & Ursacii fraudibus decepti prædictæ sibi oblata formulæ, quam a Catholica doctrina non abhorreere putarunt, subscripserint imprudentia lapsi. Eodem anno 359. Episcopi Orientales centum sexaginta, ut restatur S. Athanasius, qui Seleuciam convenerant, duas in partes, Ariatorum videlicet & Semi-Ariatorum scissi, acerrime in Concilio inter se digladiati sunt.

sunt. Semi-Ariani Acacium Cæsareæ Palæstinæ Episcopum, Georgium Alexandriæ, Uranium Tyri, aliosque Episcopos Acacianæ, seu pure Arianae factionis deposuerunt, & a Fidelium communionem separarunt. Sed hi condemnati consensim convolarunt ad Constantium Imperatorem, qui ex eorum sententia aliam Constantinopoli indicit Synodum, in qua novam fidei Formulam ab Acacio constatam approbarunt quinquaginta Ariani Episcopi, qui vicissim deposuerunt, omnique communionem excluderunt Basilium Ancyranum, Macedonium Constantinopolitanum, Euleusium Cizicenum, Eustathium Sebastenum, Silvanum Tarsensem Episcopos Semi-Arianos. Depulso a Sede Constantinopolitana Macedonio, Ariani Eudoxium Antiochiæ Episcopum Ariano in throno Constantinopolitano collocarunt, & in Eudoxii Antiochenam Sedem vacuam Meletium e Sede Sebastena transtulerunt. Sed Meletio paulo post, ob fidem Nicenam, quam aperte post hanc promotionem professus est, Sede Antiochena dejecto, Euzojum Ariano suffecerunt. Ad hæc Ariatorum factiones accessit nova secta *Aerianorum*, ita dicta ab *Aerio* ejus auctore, qui Arianae Hæresi multos de suo addidit errores, asserens primo, inutile esse orare, vel sacrificium pro Defunctis offerre. Secundo, Episcopis simplices Presbyteros æquabat. Tertio, stata jejunia, & in Ecclesia ab omnibus observari solita improbavit. S. Augustinus lib. de Hæresibus cap. 17. ait Aerium, cum esset Presbyter doluisse, quod Episcopus non esset ordinatus. Hinc præinvidia ægre admodum ferens quod *Eustathius*, cujus sodalis, seu discipulus erat, ad Sebastiam in Armenia Episcopatum pervenisset, ejus famam procacibus calumniis appetiit, & magna plebis ad se pertracta multitudinem sectam condidit, de qua legi potest S. Epiphanius Hæresi 76.

(a) Præterisse pigeret Arianae hæresis formulam, vel si magis Symbolum extare integrum, vel fere integrum apud Anonymum a Cl. Massejo editum, in quo inter cetera hæc expressis verbis leguntur: *Si quis dixerit Substantiam Filii similem substantie Patris non nati blasphemavit*. Hujus formulæ titulus est apud eundem Anonymum: *Expositio Patricii & Aerii qui Eunomio communicaverunt, Heliodoro & Stephano*.

Inter hæc Ariatorum dissidia, & novas illorum gliscientes factiones, fides de Consubstantialitate Verbi divini in Concilio Generali Nicæno stabilita reslorere cœpit in omnibus Occidentis Ecclesiis, præter tamen Ecclesiam Mediolanensem, quam regebat *Auxentius* Episcopus Arianus, exceptis etiam quibusdam Illyrici Ecclesiis, in quibus Ursacius, Valens, & Germinius Ariani Episcopi, Hæresim, quamdiu vixerunt, fovere non desisterunt. Alexandriæ, & Egypti Ecclesia in professione fidei Nicenæ constanter persistenterunt. Quin & Semi-Ariani Episcopi, qui, vivente Constantio Imperatore fuere ab Arianis in Concilio Constantinopolitano damnati, & in exilium pulsi, sub Juliano, & Joviniano Impe-

ratoribus suis Sedibus restituti Arianos condemnarunt; & quamvis *Consubstantialis* vocem respuerent, quod eam in Scriptura Sacra non legerent, & pravo sensui obnoxiam esse reputarent, cum Catholicis tamen, qui Verbi divinitatem, ejusque cum Patre consubstantialitatem profitebantur, communicabant. Circa annum 360. nonnulli, qui, teste Sancto Athanasio Epist. 1. ad Serapionem, detestabantur impiam Ariatorum in Dei Filium Hæresim, de Spiritu Sancto cœperunt prave sentire, ac contendere illum non tantum rem creatam, sed etiam unum ex ministris spiritibus esse, & illi dicti sunt *Macedoniani* a Macedonio, qui Sede Constantinopolitana dejectus, Spiritus Sancti divinitatem negavit, & *Pneumatomachorum* dux appellatus est. Hæc Macedonii Secta in Thracia præcipue, Bithynia, & Asia disseminata est. Imperante Valente Ariatorum fautore, & savissimo Catholicorum persecutore, Semi-Ariani haud parum ab Arianis vexati in Catholicorum partes tandem transferunt. Hi nempe Lampaci, quæ Urbs est in Helleponto, Synodum anno 364. celebrarunt, in qua Filium Dei Patri in substantia similem esse statuerunt, & legationem ad Liberium Papam miserunt, qua se communicare cum Ecclesia Romana, & fidem Catholicam de consubstantialitate Verbi Divini in Concilio Nicæno definitam tenere, ac conservare contestati sunt. Quare anno sequenti, seu 365. vivente adhuc Liberio Papa, fuerunt a Catholicis Episcopis in Synodo Tyanensi congregatis ad communionem admissi. Necdum tamen extincta est Ariana Hæresis, quæ in Oriente, quamdiu imperavit Valens, late dominata est. Sed mortuo Valente, Gratianus Imperator omnes Catholicos Episcopos ab exilio revocavit, eique in Imperio succedens Theodosius Magnus Religionis Catholicae incensus amore, ad eam tuendam omnem adhibuit operam. Hinc adversus omnes Hæreses legem edixit, qua solam obtinere iussit Catholicam fidem, quam Romæ Damasus Pontifex, & Alexandriae Petrus Patriarcha tenebant. Demophilum, quem Ariani in locum Eudoxii subrogaverant, e Sede Constantinopolitana deturbavit, Arianis omnem congressum prohibuit, illisque ademptas Ecclesias, quas jam quadraginta ab hinc annis possidebant, Catholicis restituit; denique, annuente Damaso Romano Pontifice, Concilium Œcumenicum Constantinopolitanum anno 381. convocavit, in quo proscriptæ sunt Ariatorum, & Macedonianorum Hæreses, & Nicæna Fides tot jactata procellis, & in multis reprobatâ Ariatorum Pseudo-Synodis, in integrum fuit restituta, & insertus est Symbolo a Patribus Nicænis edito Articulus de Divinitate Spiritus Sancti contra Macedonianos. Sic Ariana Hæresis sub finem quarti sæculi tam in Oriente, quam in Occidente ita attrita, ac dissipata est, ut dumtaxat apud Gothos, & Wandalos, qui Africam occupaverant, latibulum, quo se tegebat, invenire potuerit.

D. Arianae Hæreseos ortum, progressum, atque interitum clare exposuisti. Nunc de Lucifera-

feraniorum Schismate, & de Ecclesie Antiochena divisione tibi aliquid dicendum incumbit.

M. Luciferianorum Schismati principium dedit Lucifer Episcopus Ecclesie Calaritane Sardiniae Metropolis, Nicanae Fidei intrepidus assertor, & Sancti Athanasii, quem in Concilio Mediolanensi celebrato anno 355. a calumniis Arianorum egregie vindicavit, acerrimus defensor: Qua de causa a Constantio Imperatore in exilium missus est. Mortuo deinde Constantio, cum Julianus Apostata Imperator omnes exules Episcopos revocasset, Lucifer Antiochiam abiit, ubi gloriam, quam sibi in veritatis, & Ecclesie defensione optimo jure comparaverat, facto Schismate sedavit. Invenit quippe Lucifer Ecclesiam Antiochenam scissam in factiones tres. Nam inter Catholicos alii erant, qui *Eustathiani* dicebantur a magno illo Eustathio, qui ob fidem Catholicam ab Arianis Sede Antiochena dejectus est: Alii appellabantur *Meletiani*, qui stabant a partibus Meletii, quem tamen quamlibet Catholicum avertabantur Eustathiani, quod Arianorum consortio pollutus esset, & ab illis Episcopus Antiochenus ordinatus: Alii postremo erant Arianis, quibus praeerat Euzojus Episcopus Arianus. Antiochiam itaque cum venisset Lucifer, conciliandum studio partium, Paulinum Presbyterum in parte Catholica fecit Episcopum. Ex quo contigit, ut in parte Catholica duo essent Episcopi, Meletius videlicet & Paulinus; tres vero, annumerato Euzoio Ariano Episcopo, Ecclesia Antiochena haberet Antistites. Eusebius Vercellensis Episcopus Antiochiam profectus, ut has factiones tolleret, Luciferi factum improbat. Quamobrem irritatus Lucifer, qui aliunde etiam egreferebat, quod in Synodo Alexandrina, quam S. Athanasius, mortuo Constantio Imperatore Alexandriam reversus, & ingenti populi acclamatione exceptus anno 362. celebravit, statutum esset, ut Episcopi lapsi cum pristino gradu revertentes ad Ecclesiam reciperentur; se a Catholicorum communione dividit, & terribili Divinae justitiae exemplo in suo Schismate perseveravit, atque extra finem, & unitatem Ecclesiae vir illi rigidioris disciplinae tenacior mortuus est. Hinc Luciferianorum Schisma initium habuit, quod postea grassatum est per Italiam, Sardiniam, Hispaniam, Antiochiam, & Aegyptum. Marcellinus, & Faustinus Luciferianorum Sectae Presbyteri libellum supplicem anno 387. Imperatoribus Valentiniano II. Theodosio, & Arcadio obtulerunt, & ab illis in gratiam suae Sectae Edictum obtinuerunt, quod paulo post fuit revocatum. Hilarius Romanus Ecclesiae Diaconus non solum Sectae Luciferianorum Auto haerit, sed & illi Haeresim addidit, Arianos, ceterosque Haereticos rebaptizandos esse affirmans contra Luciferi sententiam. Eum tamen a rebaptizantium Haeresi, & a Luciferianorum Schismate postea tenuisse asserit Cl. Pagius ad annum Christi 362. Huius Luciferianorum Sectae, tempore quo Theodoretus suam scripsit Historiam, hoc est, circa medium quintum saeculum, vix ullum in Ecclesia extabat vestigium.

Veniamus nunc ad Schisma Ecclesiae Antioche-

nae, quod ab eodem Lucifero Calaritano ortum habuit. Postquam enim Lucifer Paulinum inaugurasset Episcopum, contigit, ut Antiochiae in parte Catholica duo essent Episcopi, nimirum Meletius, & Paulinus. Pro Meletio stabant Orthodoxi Episcopi, eique major populi Antiocheni pars adhaerebat. Cum Paulino Sanctus Athanasius, & Episcopi Occidentales, necnon aliqui Ecclesiae Antiochena Catholici Communionem jungebantur. Fovit etiam hanc Ecclesiae Antiochena divisionem enata tum temporis de nomine *Hypostaseos* controversia. Meletius enim, & qui ab ejus partibus stabant, tres in Deo Hypostases praedicabant, sed *Hypostasis* nomine *Personam* intelligebant. Paulinus vero, & qui cum eo communione erant uniti, unam in Deo dumtaxat admittebant, Hypostasim, quia nomine *Hypostasis* naturam, seu essentiam exprimi autumabant. Quodque gravius erat, quamvis disceptatio tantummodo esset de nomine, & una omnium Catholica esset sententia, attamen, exacerbatis hinc inde animis, hi, qui Paulinum sectabantur, Catholicis Meletianis labem Arianae Haeseos & versa vice illis Catholicis, quibus praerant Paulinus, Sabellianae Haeseos notam inurebant Meletii sequaces. Utrumque tamen sopolitum est istud Antiochena Ecclesiae Schisma mutua Meletium inter & Paulinum inita pactione, ut, alterutro mortuo, qui superites esset Ecclesiam Antiochenam solus regeret. Hac, inquam, facta pactione aliquandiu sopitum est Schisma, sed non extinctum est, quia mortuo Meletio anno 381. Flavianus in locum illius ordinatus est. Paulinus vero, antequam moreretur, (mortuus est autem anno 389.) Evagrium designavit & ordinavit Sedis Antiochena Episcopum. Tandem hoc dissidium componendi Synodus Capuana Provinciam demandavit Theophilo Patriarchae Alexandrino, qui in rem Ecclesiae esse duxit, ut, ob bonum publicae pacis, Flavianus communione donaretur. Unde mortuo Evagrino anno 393. Flavianus Antiochiae in parte Catholica remansit Episcopus, sed ad communionem Episcoporum Occidentalium non fuit receptus nisi anno 398. Hoc si quidem Anno, teste Sozomeno lib. 8. Hist. Eccl. cap. 2. S. Chrysostomus ipso sui Episcopatus exordio Theophilum Episcopum Alexandrinum rogavit, ut Romanum Episcopum Flaviano reconciliaret. Addidit idem Sozomenus, ob illud negotium Acacium Beroeae Episcopum & Isidorum Romanum missos esse, & eorum opera Antiochena Ecclesiae concordiam redditam. De hac legatione mentionem faciunt Paladius in Dialogo de vita S. Chrysostomi, & Theodoretus lib. 5. Hist. Eccl. cap. 27.

D. Fueruntne in quarto Ecclesiae saeculo aliae Haereses, praeter illas, quas haecenus recensuisti?

M. Multae aliae in quarto Ecclesiae saeculo eruperunt Haereses, videlicet Photinianorum, Apollinaristarum, Manichaeorum, Priscillianistarum, Audianorum, Antidicomarianitarum, Collyridianorum & Messalianorum, quas si omnes hic singillatim explicandas aggrediar, vereor ne longius, quam par sit, nostrum protrahatur Colloquium, tibi ob sermonis prolixitatem obrepat fastidium.

D. Tanto

D. Tanto perdiscenda Historiae Ecclesiasticae teaeor desiderio, ut quo prolixiora sunt nostra Colloquia, eo me majori oblectatione perfundant. Age ergo, singulas istas expone Haereses, & quandonam, quibusve Auctoribus prodierint, indicare non te pigeat.

M. Incipiamus igitur a Photinianorum Haeresi, cujus Auctor fuit Photinus, natione Galata, Marcelli Ancyran Episcopi discipulus, & ad Sirmensem postea Episcopatum promotus. Ut autem altius Photini Haeresis originem reperamus, sciendum est, Marcellum Photini Magistrum, qui interfuit Concilio Nicano, & in eo contra Arianos acti animo decertavit, librum scripsisse contra *Asterium* Sophistam quemdam Cappadociae, qui liberos de Religione Christiana errori Arianis consentientes ediderat. In hoc Marcelli libro Arianis putantes se offendisse doctrinam Haeresi Sabellii affinem, Marcellum in Constantinopolitano Concilio habulo anno 336. deposuerunt, & in ejus locum Basilium subrogarunt. Marcellus ad Julium I. Pont. Max. mox confugit, ut hanc Haeseos suspicionem a se amoliretur, cumque apud illum sese purgasset tum propria professione fidei, tum Legatorum Summi Pontificis, qui Nicano Concilio adfuerant, testimonio; sententiam absolutionis retulit, atque in communionem & in Sedem suam Ancyranam a Julio restitutus est, ut videre est in epistola ejusdem Pontificis ad Episcopos Orientales. Eundem Marcellum absolvit Synodus Sardicensis causa cognita, ejusque libris lectis & accurate discussis, quibus Sabellianae Haeseos notam affingebant Arianis. Quin & S. Athanasius Marcellum Ancyranum, quamdiu vixit, suam in communionem admisit, sicut ipsemet asserit in prioris Epistola ad Constantium, & in Epistola ad Solitarios. Idem etiam testatur S. Basilus in suis Epistolis 52. 84. & 87. quamvis aliunde S. Hilarius in Fragmentis, & Sulpitius Severus lib. 2. Historiae Sacrae, asserunt S. Athanasium a communione Marcelli, utpote in Haeresim lapsi, sese separasse. Mortuus est Marcellus Ancyranus Episcopus anno 374. multosque reliquit discipulos, qui Fidem Catholicam professi, errorem Sabellii, quem ipsis Arianis impingebant, palam damnarunt. At Photinus Marcelli discipulus, qui Sabellii errorem recoxit, ac postliminio revocavit, in causa fuit, cum multi Sancti Patres, praecipue Basilus, Hilarius, Sulpitius Severus suspectam haberint fidem Marcelli Ancyran Episcopi, quorum opinionem sequutus Baronius tom. 3. Annal. ad annum Christi 347. Marcellum in Haeresim Sabellii lapsum esse propugnat, & Julio Papae, Patribusque Concilii Sardicensis fucum fecisse existimat, cui etiam subscribit Cl. Pagius in sua Critica ad annum 347. Photinus itaque Sirmiensis Episcopus virus suae Haeseos effundere cepit anno circiter 343. cujus haec duo praecipua iuere capita. Primo, Christum ex Maria habuisse initium, eumque esse merum hominem pertendebat. Secundo, nullam Verbi, aut Spiritus Sancti asserbat esse Personam, sed unam Patris, Filii, & Spiritus Sancti Personam praedicabat, atque hoc pacto Sabellii errorem instaurabat. Quapropter statim

Graveson Hist. Tom. I.

damnatus est in Synodo Mediolanensi, in Synodo Antiochena secunda, in Synodo Sardicensi, in Synodo Romana, & tandem in Synodo Sirmiensis anno 351. Sede sua dejectus est. Photinus exautoratus Constantium Imperatorem appellavit, ejusque supplicationi annuens Constantius, Basilio Ancyrano Antistiti munus imposuit cum Photino disputandi. Famosa fuit haec disputatio, qua victus Photinus in exilium ab Imperatore missus est. Sed imperante Apostata Juliano reversus, iterum sub Imperatore Valentiniano solum vertere coactus est. Tandem mortuus est in Galatia anno 376. Vir fuit, teste Vincentio Lirinensi in Communit, ingenii viribus valens, doctrinae opibus excellens & eloquio praepotens, habuitque multos sectatores dictos ipsius nomine *Photinianos*, qui licet Imperatorum Gratiani & Theodosii sanctionibus saepius fuerint repressi, Ecclesiam tamen ad quintum usque saeculum infestant.

D. Quanam fuit Apollinaristarum Haeresis & a quo proculca est?

M. Haeretici Apollinaristae contra Incarnationem Verbi Divini multos errores evommerunt. Dissi autem sunt Apollinaristae ab utroque Apollinario, Patre videlicet Ecclesiae Laodicensis Presbytero, & filio ejusdem Ecclesiae Lectore, qui humanioribus litteris apprime exculti hanc Haeresim procluderunt. Palmaris illorum error in hoc situs erat, quod docerent, Christum sumpsisse quidem ex Virgine Corpus, sed sine Anima, cujus vicem a Verbo Divino suppleri cum Haesiarcha Ario distabant. At hunc errorem postea emollientes falsi sunt, Christum sumpsisse etiam animam, sed quae mente careret, Verbumque Divinum ei fuisse mentis loco. Quin, eo dementiae proruperunt isti Haeretici, ut dicerent Verbum Divinum e Caelo corpus attulisse, quod per uterum Virginis tanquam per tubum, & canalem transferat; ex quo sequebatur, Corpus Christi fuisse impassibile & immortale, ac proinde Nativitatem, Passionem, Sepulturam & Resurrectionem Christi specie tenus, & phantastice tantum, sed non vere contigisse, Verbumque divinum mortale, & mutationi obnoxium fuisse. Praeterea, unicam in Christo admittebant naturam, scilicet Divinam, quam in carnem conversam esse asserbant. Unde inferebant, Corpus Christi divinitati consubstantiale esse, ac subinde omnes corporis dolores, cruciatus, & passiones in ipsam Verbi divinitatem refundebant. Quapropter, cum Apollinaristae unicam in Christo naturam, seu Divinam, agnoscerent, appellati sunt *Synusastae*. Praeter illos errores, Apollinarius diversos in Trinitate dignitatis gradus posuit, itaut Spiritus Sanctus magnus, Filius major, Pater maximus diceretur, sicut testatur S. Gregorius Nazianzenus Epist. 1. ad Cledonium. Duobus etiam voluminibus Apollinarius Millenariorum errorem Judaico sensu contra Dionysium Alexandrinum propugnavit. Nemesius, & S. Hieronymus in praef. lib. 18. in Isaiam, in c. 36. Ezech. & Epist. 82. scribunt, Apollinarium existimasse animas hominum ex traduce procreari. Denique, nonnulli inter Apollinaristas docuerunt, B.

F 3

Vit-